

- A** non solum deferere externa membra, sed etiam in profundum corporis contrahi, hæc: & illud primum, quòd dormientes, frigidiores, decoloriores, liuidioresque appareant: quod signum est calidum influens reliquisse extremas, externasque partes: ostendit præterea idem, concoctio, quæ in ventriculo, hepate, & internis alijs cavitatibus, per somnum scilicet obitur, quam per vigiliam: quod quidem fieri non posset, si aliarum partium calor, ad illas non se reciperet. Testatur hoc calor augmentum, in dormientibus etiam exspiratio, quæ maior est, quàm in vigilantibus, eò quòd ex plurimo calore gignantur plura excrementa fuliginosa, quæ maiorem expurgationem desiderant. Igitur contrahi calidum in omni somno (quoniam hæc quæ diximus in omnib. dormientib. apparent) certum est. At hoc nõ per inde constat, quænam sit, & an vnica sit contra actionis ratio. Auerroes in suo Colliget, & in commentario libri Aristotelis de somno & vigilia ait, dilationem calor naturalis in partibus extremis, non fieri nisi propter augmentum quantitatis ipsius: contractionem verò eiusdem, ob diminutam quantitatem, & hanc necessario fieri à frigiditate, & humiditate, illam verò à caliditate, & siccitate. Quando enim inquit, calidum innatum frigiditatem, & humiditatem acquirit, diminuitur à sua quantitate, & ita reuertitur ad suam radicem: cuius quidem opinio recipienda non est. Nam etsi somnus aliquando fit diminuto calido innato, & contracto ad viscera interna: vigilia verò eodem aucto, & exeunte ad externas partes, tamen non semper hæc sunt harum affectionum causæ. Nam qui exsiccati sunt, prope modum cõsumptam habent huius calidi substantiam, tamen vigilant: contra verò dormiunt hi etiam, quibus plurimum inest calidi innati, qualia sunt sanguinea, & plena corpora. Pariunt vigiliam in omni corporis statu obiecta sensuum, externaque irritamenta, somnum verò tenebræ, & quies, quæ causæ vt etiam multæ superius adductæ, ad copiam, & inopiam calidi natiui nequaquam redigi possunt. Nec illud quidem verum est, huiusmodi substantiam à frigiditate, & humiditate minui, augeri autem à calore, & sicco. Repellitur quidem à frigido, & ad iuncto humore, clauditur illi via: augeri autem illam necesse est, accedente humore, qui omnia replet, & auget. Sic calor, & siccitas faciunt ad illius motum: verum non augent substantiam, quam potius digerunt, & absumunt, vt ostendunt labor, cogitationes, & reliqua, quæ calefaciendo, & siccando, calidum innatum absumunt. Galenus libro tertio de Causis pulsuum scribit, naturalem somnum fieri, cum calor natiuus ex fatigatione, & nimia siccitate, ad alimentum se conuertit: somnum verò comatosum fieri, impedito motu calidi natiui, ob immodicam humiditatem: vigiliam verò naturalem, quam *γρηγορία* vocant Græci, scribit fieri, quum natiuus calor acquisita copiosa humiditate in visceribus, formas exit. Huic autem contrariam, quam *ἀγρηγορία* illi, nostri verò interpretes vigilantiam, nunc vigiliam, vt aliam non sine errore, & magna confusione appellant, desiccato, & quasi inflammato natiuo calore, committi tradit. Qui etsi multo melius, quàm Auerroes sentiat, tamen in eosdem errores incidit: neque enim omnis somnus fit, ita contracto calore, vt ex nimia siccitate debilitatus, quærat in partibus internis alimentum: aut quòd ob nimiam humiditatem nequeat egredi. Nam cum tenebræ, musica, strepitus aquarum, circulares motus, voluntas, somnum conciliant, nemo negabit naturalem, vtilemque illum esse: quem tamen nemo agnoscere potest, nasci ob siccitatem calidi, & alimenti necessitatem. Scribit idem author multis locis, sopores, somnosque præter naturam excitari ex contusionibus cerebri, adeò vt vna non sit causa contractionis calor, & somni præter naturam, quæ sumitur ex humiditate, impediente calor motum. Præterea in huiusmodi somno, docet quidem id, quod impedit calor motum ad sensoria: at non docet, cur etiam in hoc calor non solum impediatur, sed etiam contrahatur. Verum ne longius res progrediatur, docere aggredior, quid sentiam de causa huius contractionis, quæ (meo quidem iudicio) vnica esse non potest, communis omnibus causis somnum facientibus: Nam vbi deest substantia, contractionis causa est defectus subiecti, sine quo nequit calor consistere, & vniuerso corpori communicari. Cum verò reuocatur calor ob actiones internarum partium, concoctionemque ventriculi, somnusque fit, contractionis causæ sunt, facultates illarum partium, quæ instrumentum, sine quo agere nequeunt, ad se aduocant. Cum autem somnus fit ab his, quæ calorem repellunt, contractionis causa nota est, à contrario pellente, & internis partibus attrahentibus, quod ab externis rejicitur, ne torpescat naturæ instrumentum. Quum verò nascitur somnus, eo quòd calori via sit occlusa, vel desit in sensorijs, quod illum moueat, & alliciat, aut impeditur illius motus rectè ferri, vt oportet ad sensoria, contractionis vna est causa, ne quid fiat ociosum in natura. Vbi enim non habet quod agat calor, aut impeditur agere in externis membris, ille ea meritò deserit, ad internasque partes se recipit, ab illis reuocatus, vt interim quum nihil habet, quod alibi agat, non torpescat quod à natura ad continuum motum, & negocium est comparatum. Seruit ergo tunc calor internis partibus, vbi, vt antea diximus, semper aliquid esse solet, quod concoquat, & ad sui conseruationem pabuletur. At verò cum somnus fit refrigerata, concretaque calidi substantia, vt solus hic non est sopor, sed etiam immobilitas quædam, ita nec contractio vlla fieri videtur. Substantia enim quæ hoc modo afficitur, inepta est ad contractionem, & alium omnem motum: propterea videmus eos, qui largius sumpserunt papauer, aut aliud quod vehementer refrigeret, immobiles reddi: nec illis conferre calorem ad aliquam actionem: tanquam
fit ille